

A

XXVII.

VI

Bart. RICCII

ad Princip.

Christ. Orat.

[Firenze, ? 1551]

BARTH. RICCII ORATIO

QVA PRINC.

CHRISTIANOS HORTATVR
AD SVMMA ANIMORVM
CONIVNCTIONE
arma in Turcarum Regem sumenda.

Pio V. Pont. Max.

INSCRIPTA.



M. D. LXVI.





Pio V. Pont. Max.

Barth. Riccius S. D.



VM viderem S. Pō-tifex, quanto furore, quid.n. dicam quan-to apparatu? Rex Thracum iterum in Christianā Remp. ra-biose inferretur, qui vix à Me-litensi obsidione discedens, in Pā-noniam multo maiores copias ad nouum bellum inferendum traijceret, atq; Christianis vnā tantum concordiam ad tantū hostem infringendum desidera-ri perspicerem. eorum Prin. ad hanc vnam in primis inter se conciliandā, hac oratione sum

pie

pie cohortatus: hoc est, vt quem admodum iampridem ciuilia arma deposuissent, ita etiam si quid forte simultatis adhuc in eorum animis resideret, eo quoque prorsus omisso, vere, atque christiane in istum crudeliss. ac sempiternum hostem suum conspirarent. ad cuius sanctioris fœderis firmiorem rationem stabiliendam, vt ipse quoque fidem, atq́; auctoritatem tuam interponeres, te omnibus precibus rogabam, atq́; orabam. qua vna postea animorum certiss. consensione armati, nihil dubitandum erat, quin istum atrocissimum hostem etiam, q̄ est, duplo poten-

tio-

tiorem, facile ſuperarent. hanc autem cum illis mittere cuperem, ratus ſum multo maiorẽ cum dignitatem, tum etiam auctoritatem apud eos habiturã, ſi eam ſub alicuius magni & viri, & Principis nomine mitterẽ. quam meam ſententiam cum ego cum Hippolyto Ateſtio Cardinali ampliſs. communicarem, continuo ille, quæ ſua ſumma in te eſt obſeruantia, quemq; vnice ſemper dilexit, vt ſub tuo sãctitatis nomine illam diuulgarem, mihi propoſuit. quo fideliſs. atque prudentiſs. cõſilio comprobato, abiecta omni mea humilitate, atq; cum tanti Pr. amplitudine

tudine tuam humanitatẽ, quã quotidie, vel potius in dies singulos, in cuiusque generis homines declarare non cessas, fideliter coniungens, hãc (vt vides) sub tuo nomine publice descriptã edidi. Utinam vero Deus opt. max. faceret, vt quo ego illam animo scripsi, eo quoque ab illis acciperetur, atque in ea tãta vis esset, quanta ad tantam rem persuadendam opus esset. Sed vel nihil ea opus fuerit ad eorum integriorem concordiã conciliandam, vel sane ieiune, atque exiliter, quod fortasse verius est, perorata sit. mihi tamẽ homini duode lxxx. annos nato

satis

*ſatis eſſe poterit, me cum hone-
ſtiſs. cauſa, eaq́ chriſtianiſs. ani
mum habere coniunctiſs. decla-
raſſe. Quo Deum opt max. ro-
go, vt te, quem ipſe ſolus gregi
ſuo Paſtorem proxime delegit,
ac quaſi de cœlo in ſummo eius
periculo demiſit, diutius in il-
lius cuſtodia cõſeruet. interim
Chriſtiane (vt facis) Vale.
Ferrariæ XV. Cal. Septembris
M. D. LXVI.*

Barth. Riccij ad Principes Christianos Oratio.



CVPEREM equidem Cæsar inuictiss. Reges, ac Principes amplißimi, vt hodie mihi apud vos tantum cum auctoritatis, tum etiam eloquētiæ daretur, quantum rei ipsius, de qua acturus sum, magnitudini, ac vestræ summæ conueniret amplitudini. dicendum est enim de suscipiendo bello, aduersus Thracum Regem, atrociß. religionis nostræ hostem, idque apud eum Principum senatum, cuius consilio, atque prudentia tota Resp. Christiana fœliciter gubernatur: ad cuius rei grauitatem sustinendam, Cæsare Imperatore, ad eam verò splendidè perorādam, Cicerone peropus esset Oratore. Sed nihil tamen vereor, quin pro vestra summa humanitate alterum ipsi meæ senectuti, atque huic canitiei sitis libenter condonaturi: qui non vt vobis prudentissimis Principibus consilium darē, hanc prouinciā suscepi, sed quia facilè duxi, cū quæ de me audiretis, omnibus notissima essent, ea item quasi ab omni Christianorum conuentu audire putaretis. Alterum ego vt à meo dicēdi veteri instituto obtineā, omni studio, atque diligentia contendam. Primum igitur, vt suo rem ordine persequar, vnde tantum bellum ortū sit.

Deinde de eius magnitudine, atque necessitate dicam. Postremo vero ad concordiam inter vos conciliandam, vos Christianè cohortabor. Ac quod ad causam, ea quidem multiplex esse videtur, aut enim iste bellum hoc mouet, vt solus regnet. id quod etiam in proprijs filijs declarauit, quos cum primũ aliquod virtutis specimen dare vidisset, statim, ne sibi mortem regnandi causa machinarentur, de medio tollẽdos nefariè curauit. aut natiuo odio in nostrã religionem inflammatus, vt eam deleat, atq; perdat, omni studio, atq; contentione conatur. Sed neq; ea quoq; leuissima causa videri potest, qꝫ, cum superiori anno magnam cladẽ apud Melitam Insulam à nostris accepisset, atq; si ab ijs paulò fidentius actum esset, cum vniuersis copijs classem CL. *triremium, totidem nauium cuiusq; generis cæterarum amisisset, ratus hoc modo eam probè vlcisci posse, si hoc sequenti anno tantas copias in Pannones armasset, ac quod ignominiæ à Melitẽsibus accepisset, id in Pannonũ calamitatibus vindicasset, in hanc tantam belli molem exarsit. certè, quam obijcere possit, nulla à nostris lacessitus est iniuria, nisi id iniuriæ loco ducat, quòd nostri vniuersam eius, ac benè magnam classem ad Melitam aufugere permiserint, aut quia Melitenses se se capi non siuerint, neque eius sæuitiæ cruci suffigendos dediderint. Vt si quid in omnibus rebus causæ honestas, ac ratio*

valeat, vobis in hoc bello, quod nulla vestra causa conflatur: sed tantum hostis siue auaritia, siue superbia, siue in Deum nostrum rabie infertur, plurimum sperandum sit. nam si Deus innocentes aduersus impios, atque omnis sceleris affines tueri solet, neque sui contemptum, atque probrosam iniuriam diu inultam auferri permittit, vtraque de causa, hoc est & vestra innocentia, & Dei veri in suam religionem auxilio hostem vicistis, atque fudistis. Hæc vero sunt, quæ ad causam spectant. Iam de genere belli dicendum est. hoc quidem maximum est, maximéque periculosum: nam, quæ inter vos olim magno cum vestro detrimento, atque summo cū dedecore in Gallia, in Germania, in Italia sæpius gesta sunt bella, ea quidem minimè parua, neque sine summa crudelitate, vt quæ Christiano vtrinque sanguine semper exundarint, præ hoc vno leuissimæ, atque mitissimæ pugnæ, ac quasi præliorum simulachra videri possunt: si quidem in hoc eum hostem habetis, qui potentia atq; omni bellico apparatu cæteros Reges, Principes, ac populos terra, mariq; longè superat. Qui equites ad CCC. millia, pedites sine numero vno tm̄ nuntio, atque vna literarum significatione ex suis regnis in aciem cogit. Si verò res mari gerenda sit, claßem CC. triremium, nauium præterea innumerabilium educit optimè instructam, atque exornatam. Aerarium verò, quod belli neruum appellant, quàm reges

cæteri ſimul vnà, auro multo habet refertius. Huc accedit, ꝙ in re gerenda principatũ tenet, ꝙ ſolus eſt in deliberando, atq; imperando, quique, quod ſemel decreuerit, id pro effecto velit: neque enim hic aut ſecũ diſcordat, aut ad cuiuſquã alterius ſententiam ſuam commutat ſentẽtiam; multoq; minus veretur, ne à ſocijs in medio conflictu deſtituatur, atque iam parta victoria hoſtibus ſceleratè prodatur, ac manifeſtè offeratur. Quæ omnia cum per ſe (vt videtis) ſint maxima, ac quibus nulla res tàm difficilis occurrere poſſit, quin facillima fiat. vna tamen fortuna, quæ in omnibus rebus, præſertim in bellicis maximè dominatur, ita cum huius potentia coniuncta eſt, itaq; huic ſtudet, atque obtemperat, vt quaſi ea quoque illi parere videatur, ſcitur .n. atq; noſtro magno cum omniũ dolore ſcitur, iſtum nullum ferè bellum ſuſcepiſſe, quod etiam feliciter, atque vt ſecum animo conſtituerat, cum ſumma gloria non confecerit. vt etiam ſi fortè aliquando hæc illi non arriſerit, victoriamque in manus non tradiderit, non ita tamen eum afflictũ deſtituerit, vt paulò poſt in pugnam redire, nouumq; bellum comparare non auſus ſit, ſicuti nunc vobiſcum agit, quos ab afflicta ſuperioris anni ad Melitam fortuna, multo etiam paratior adoriri minatur. Quibus duabus rebus iampridem veteri Imperio propè totam Aſiam, Africæ verò, atque Europæ non paruam partem adiunxit. Quibus

autem

autem nõ imperat, ab ijs annuum tributum exigit. Vt quos suo nomine (quid enim amplius, aut grauius dici potest?) ab omnibus omniũ iniurijs tutos, atque illæsos conseruet. Quæ omnia quantum hoc bellum futurum sit, facilè declarant. vt quod à potentissimo rege, aut gloriæ cupiditate allecto, aut habẽdi auiditate tracto, aut delendæ maculæ, quam ad Melitã acceperat, flagranti desiderio vel simul ab oĩbus cũ ea, quam diximus fortunæ felicitate, totum proficiscitur. Hæc verò de magnitudine belli. nũc de necessitate pauca dicam. Huius autem duplex genus est, alterum eorum, quæ aliter fieri non possunt, vt qui semel natus sit, is aliquando vt moriatur necesse est. alterum cum res ità vrget, vt parum à necessitate distare videatur, vt in hoc, de quo agitur, bello: nam cum duobus modis bellũ geratur, alterũ, cùm ipsi inferimus, alterum cum nobis infertur; inferamus nec ne, in nostra manu positum est. quod autem infertur, non ita: aut enim id suscipiendum est, aut hosti nos, nostraq; sunt dedenda. Quoniam verò omnibus persuasum est, vos vostra regna nulli esse tradituros, necessario sequitur, vt pro ijs retinendis aduersus eum, qui illa vobis auferre conatur, arma capiatis, atque simul vnà viriliter defendatis. Cui vestræ priuatæ necessitati id quoq; publicæ necessitatis accedit, ꝙ ex hoc ipso bello vniuersæ Christianæ Reipub. maximum imminet exitium. Pannonia enim su-

perata in Germaniam, indè in Italiam, in Galliam, atque in totam Europam patentiss. hostis habebit aditum: qui omnia barbarica, ac plus, quam thracica sæuitia consumens villas amæniss. Vrbes regias, atque in ijs Templa Deorum immortalium igni, ferroque deuastabit. quibus externorum bonorum ruinis, atque internicionibus id, quod omnium maximum est, maximeq; impium accedit, quòd veri Dei cultus, atq; religio ꝓpe tota est interitura: nam cū hæc hodie inter suos parum constet, atq; in dies magis corruere videatur, vt in qua iam quisq; ad sui animi sententiam sentiat, & agat. Quid autem sperandum, si cum indulgentiss. viuendì ratione summa sit hostis coniuncta potentia? Videre videor (quod Deus ipse auertat) continuò omnes ad præsentem statum suas actiones conuersuros, nihil de se post mortem credituros, atque curaturos: quo vno sublato vniuersa quoque viuendi sanctior ratio sublata est. Dei Christi nulla fides relinquetur. omnia in Thracicam luxuriam transferentur: vt vndiq; cum magnum, tum etiam multiplici periculo bellum hoc maximè necessarium sit, cuiq; à vobis fortiter occurratur. Quod bellum etsi aduersus eum hostem sitis gesturi: cui cum ab omnibus rebus (quod sæpius cum meo summo dolore dico) tum à fortuna ipsa omnia suppetant, non is tamen ita magnus, itaq; fortunatus est, quin à uobis reprimi, atque etiam superari possit:

possit: nam si vtriusque vires conferantur, vestræ quidem, si ex æqua portione cogantur, multis partibus sunt maiores. ille equorum celeritate præstat, vos in statarijs equis firmiores pugnatis. Ille ex peditatu maiorem partem in operis, quam in pugnis exercendis habet conductam, vos omnem vestrum ad pugnandum selectum, ac factum. ille, qui temere, atque nullo militari ordine in pugnam irruant, vos, qui & vsu, & scientia decertent, milites habetis peritiores. ille in vos, atque in vestram religionem summo natiuo odio incensus infertur, vos contra cum natura ipsa, tum quotidianis, ac maximis iniurijs affecti multo in illum ardentiores occurretis. Hoc vero vobis ēt amplius, quod iste domum vsq; ad vos lacessēdos quotidie insolentius accurrit. in quo præter bestiarū, ac hominū ingentem prædam auectam, turpissima Christiano nomini inuritur macula. Si vero arma spectentur, quid sagittarij cum tormentarijs? præsertim illis, quos Ferraiolos appellatis? Quid item nudus cum optime loricatis? Tormentorū autem, vt vestrum est inuentum, ita etiam ijs melius, quam cæteræ gentes vti didicistis. quibus omnibus rebus constat magis isti à vobis, quàm ab hoc vobis esse metuendum. Quod verò ad eius perpetuam fortunæ felicitatem attinet, non hac ita quoque formidandus est, ut continuò abiectis armis illi absenti vos, vestráque dedatis, atque ad eum domum vsque ad

duriss.

duriß.condiciones accipiendas legatos ſupplici-ter mittatis : nam, ſi hæc ſuæ inconſtantis natu ræ prorſus obliuiſci nolit, neque in vno ſtatu per petuo permanſura ſit, iam non longius abeſſe po teſt, cum ab hoc ſe ſe auertat, atque reſlare a-crius incipiat. cuius rei proximè ad Melitam non paruum ſignum dediſſe videtur. Quin etiam quanto felicior, atque diuturnior in hoc extitit extollendo, tantò in hoc eodem inferius deprimendo, vt contēdat, par ſequitur ratio. Tametſi iſti quoque potentiß. aduerſariæ à pru-dentiß. viris ſuo iudicio ſæpius occurſum eſſe, in omnibus hiſtorijs legitur : non enim ſemper quod alteri feliciter ſuccedit, magis eius for-tunæ, quàm alienæ imprudentiæ attribuendū eſt, id quod in vobis admitti non poteſt, qui & vi-dendo plurimum, & experiundo non minimum profeciſtis: continuò enim ne tumultus in veſtro exercitu excitetur, vt nationes amicè inter ſe conueniant, atque vt ſua certa militibus ſtipen dia diſſoluantur, resq; omnes, quæ ad victum, atque ad reliquum militiæ vſum neceſſariæ ſunt ſuppeditentur, optimè curabitis. In locis ve-ro ſiue ad caſtrorum poſitionem deligendis, ſi-ue ad ſigna ipſa conferenda, vt qui domi veſtræ rem geritis : quæ vobis æqua, quæ hoſti iniqua ſint, commodè capietis. qua item ratione agmē ducatur, quaque acies inſtruatur : qui in primo loco, qui in medio, qui in poſtremo collocentur : vtrum vna tantum acie, an multis pugnandum

ſit,

ſit, prudenter animaduertetis. Vbi tormenta ſiue maiora, ſiue minora apte collocentur, non ignorabitis. Quibus dolis hoſtis ſit fallendus. Quando feßis recentiores ſint ſummittendi, ac quouſque hoſtem fugientem inſectandum, quando receptui canendum, & cætera multa, quæ, ne vobis alter phormio videri poſſim, ſummæ veſtræ in re militari ſcientiæ, atque exercitationi relinquo, atque ad eam animorum veſtrorum conſenſionem, quæ tertio in loco à nobis initio propoſita fuerat, pertractandam, atque quanta eius vis ſit, explicandum redeo. Continuo igitur id ab omnibus omnium ætatum in tritam ſententiam vſurpatum, atq; comprobatum eſt, res paruas concordia maximè creſcere, maximas vero diſcordia dilabi, atque ad nihilum redigi; vt quotidie cum in re priuata, tum in publica adminiſtranda cernitur. Quare fit, vt vbi quis ſolus rem gerat, modo is eius ſcientiã optimam habeat, eam tenuiß. ad omnem cumulum adaugeat. contra vero, vbi plures adminiſtrent, quorum ſententiæ nõ conueniant, eam quam maximam diſsipent, atque diſperdant. Itaq; reſp. quoad earum Principes inter ſe congruunt, atque in vnam ſententiam conueniunt, non ſolum in Imperio feliciter permanent: ſed cæteris etiam perpetuo imperant. vbi vero inter eos diſſenſio exorta eſt, breui ad interitum corruunt. Quam vim prudentiß. ille pater in virgarum faſsiculo ſuis filijs demõſtrauit: quas

simul vnà arcte colligatas nullus eorum omni conatu infringere, singulas autem quisque facil lime potuit. Vtinam autem hoc ipsum cum reip. Christianæ summa calamitate eius Principum dißensio ante semper testata non eßet, atque ēt longius testari non pergeret: qui cum nunquam aduersus Thracum istum Regem suum atrociß. hostem verè inter se conuenißent, de ea tanta terra, mariq; diminutio facta est, vt pudeat recensere: quem non propriæ vires, aut bellica virtus, sed nostra discordia potentiß. atque victorem semper reddidit. Ignoscite Principes Christiani, si paulò liberius nunc vobiscum agam: res.n.tam manifesta est, vt dissimulari, tamque iniqua, vt non accusari, nisi improbè, non queat. Vos vos (inquam) soli istius belli causa estis: qui hostem vestrũ vestris discordijs non solum vobis ad bellum inferendum inuitatis: sed etiã cogitis. à vobis, inquam, quicquid ab isto reip. Christianæ indignæ calamitatis accidit, quicquid seruitutis, quicquid incendij, rapinæ, cædis, omne proficiscitur. Qui si vt nomine coniuncti estis Christiano, ita animis in Christianam salutem consentiretis, iste non solum vestros fines nunquam attigisset: sed neque intra suos se tutum, atque securum credidißet. scitis .n. quam impiè superioribus annis usque ad Romæ (ne quid altius repetam à Neapolitanis, atque Insubribus bellis) nefariam spoliationem sæuistis. n qua omnia sacra, profana æquè diripuistis;

atq; vexaſtis. ſacris virginibus vim attuliſtis. ſummum Pont. obſeſſum ſummo pretio redimi iuſſiſtis. Proximè verò in Hetruria omnia ſubuertiſtis. In Germania in Carolum V. Imperatorem tanta, tamq; iniqua facta eſt coniuratio: vt parum abfuerit, quin ſepius caperetur. De Gallia quid aliud dicam, quam ꝙ hoc etiam tempore miſera ex ſuperioribus perpetui belli incendijs deflet, atque lamentatur. Thraces interim occaſione arrepta hoc anno hanc continẽtis partem bene magnam, atq; frugiferam, alio locupletiſs. Inſulam, aliàs vtrumq; à vobis inter vos pugnantibus auferre non ceſſat. Vt iam eo vẽtum ſit: vbi de ſumma rei dimicetur. Quare vobis fraternè prouidendum eſt, ne iſte ſemper veſtra diſcordia, veſtris ſimultatibus, veſtris inteſtinis odijs magis, quam proprijs viribus armatus vos opprimat, atque iſto veſtro potentiſſimo præſidio fultus, hunc hodie, cras il lum, aliàs alium de nobiliſſimo, atque maiorum ſuorum Imperio deijciat, atq; excludat. id, quod nunc eo quoque multo facilius facietis, vt qui iam ſextum annum in ſummo ocio, atque concordia tranquiliſſime agitis. Conſiderate, vos rogo, diligenter, quæ veſtra nunc conditio ſit, quæq; tum eſſet, ſi (quod Deus auertat) id accidat, vt ex ſummo felicitatis ſtatu ad miſerã. atque infimæ vitæ conditionem delabamini. ſi à regijs veſtris commodis, atque veteri imperandi auctoritate ad omnem egeſtatem, atque ad

parendum deijciamini. Ego vestra causa hãc calamitatem reputans totus contremisco, neq; dubito, quin vos, quorũ res agitur propria, acrius commoueamini. Huic igitur viribus vestris hoc modo multo maioribus obuiam ite. summæ verò fortunæ vestra sũma prudentia occurrite. Coite animis, dum vobis integrum est, neque rẽ in illud tempus differte: quo vos magis istius dissidij sit pœnitendũ, quam cum ad vestris opitulandum, quæ facultas detur, conquirendum atque conquerendum; vosq; eo fœdere simul vnà coniungite, quod nulla regni cupiditas, nulla veteris odij memoria, nulla hostis potens solicitatio, atque corruptio quicquam violare possit. Quin, vti pleriq; vestrum post naturales propinquitates, arctiss. etiam affinitatibus coniuncti estis; ita etiam paribus animorum coniunctionibus, ac quãto corpore nobilior est animus, tanto eius etiam sanctioribus vinculis deuincimini. qui vero superioris generis nullo nodo cõtinentur, certè in vnà Christi religione, in vna eius Dei filij confessione, cerimonijs, atque viuẽdi communibus institutis, ac legibus vobiscum sunt coniunctissimi. Quare omnes in hanc sanctissimam, maximeq; necessariam consensionem conuenire debetis, in qua cum vestra, omniũ simul vestrorum, atque totius reip. Christianæ salus continetur. Ego opt. ac fortiss. Principes existimo, si vnquam aliàs hæc vestra animorum concordia, atq; virium coniunctio reipub.

Christianæ opem afferre potuit, eam hoc tempore omnium maximam illi afferre posse, quo hostis, si non omnes copias, certè maiorem, ac meliorem partem in certiss. periculum adducit. hoc.n.nunc prorsus deuicto, aut triumphum de illo ducetis, aut assiduis istius incursionibus, atque altero quoque anno teterrimo bello, quod miserrimum est, vos, vestrosq; populos feliciter liberabitis. quibus, si ij estis, qui semper honoris, & gloriæ cupidi fuistis, vbi eam illustriorẽ, quam in hoc tanto hoste superato assequi possitis, nulla amplior, atque certior facultas dari potuit. Quin ingenti gloriæ ingentes etiam copiæ accedunt. statim.n. Christianis vrbibus receptis, alienas, hoc est quas longiss. vsu hostis suas sibi fecit, si non capietis, certè feraciss. earũ agros depopulabimini, ac prædas ingentes domum reportabitis. Quanta autem huiusce animorum consensionis virtus sit, quantumque valeat, bis nostra memoria (ne rem altius repetam) experti estis, semel, quo tempore istum ipsum in Præusæ (vt dicunt) portu conclusistis: quam reliquam victoriam, quoniam non verè coiueratis, cum summa vestra amisistis ignominia. Iterum cum ad Melitam fractus, vestra item (ne quid grauius dicam) desidia, vel remulco triremes remigibus, atque defensoribus nudas trahentẽ, atque ex ornatiss. vestra classe spectantes, aufugere permisistis. Coite tandem ex toto animo, atq; ita, vt iste captus nullo vestro

ſtro in veſtros dolo, nulla veſtra negligentia ę manibus veſtris elabatur. Induite hanc fortiſs. armaturam, vel potius hoſti veſtro eripite; quam nulla ferri acies, nullus acutiſs. mucro, nulla vis tormentaria, quicquam labefactabit. alter alteri concordes adſitis, atque ſimul animis arctius coniuncti omnes hoſtem inuadite, & captum poſtea retinete. ſit ſatis à maioribus veſtris odijs inteſtinis decertatum. ſatis vniuerſa Europa ſanguine Chriſtiano inundarit. ſatis Tirannus iſte veſtris diſcordijs exultarit. Mirum eſt P. Cr. quod in hanc ſententiam breui dicam. Familiares ruſtici canes domi inter ſe ob rem cibariam dentibus dilacerantur. ſi vero interea alienum in aream ingredientem aſpiciunt, continuò relictis cibarijs ad eum omnes facto impetu diſcerptum accurrunt, atque illũ rabioſis morſibus à ſuis laribus expellunt. Et vos, quibus ratio à natura, & à Deo opt. ad cæteros gubernandos prudentia data eſt, canibus imprudentiores eritis? qui quem videatis in veſtrum regnum hoſtem armatum ingredientem vobiſcum ob rem leuiſs. pugnantes, ea ſaltẽ in hoc tempus ſepoſita, vnanimes in illum non irruetis? ac ſtatim hunc à veſtris fortunis nõ procul repelletis? eos dentes, quos in vos rabioſe exercetis, in ſceleratiſs. hoſtem non acuetis? non eum mordicus, cum arma deſint, dilaniabitis? non vſque quaque à veſtris finibus arcebitis? Verum ſi hoc à canibus ſumere vos pudet,

hoc

hoc ipsum à prudentißimis viris, Aristide, & Themistocle honestius sumere licebit: nam cum ambo à sua Republ. legarentur, cum ex vrbis piorta exirent, Themistocli, inquit Aristides, h c Themistocles omnes nostras simultates, (magnæ enim ab vsque adolescentia inter eos inimicitiæ intercedebant) deponere poßumus: vt Reipub. nostræ fideliorem operam nauemus, eas redeuntes, si videbitur resumemus. id, quod Themistocles comprobauit, atque ita legationẽ suam, vt volebant, absoluerunt. hi vero, quod vni paruæ suæ Reipub. dedere, vos primum vestris latiß. atque nobiliß. regnis, deinde vniuersæ Christianæ religioni dare negabitis? quod illi pro libertate tantum fecere, vos pro vestra, atque vestrorum omnium salute, atque incolumitate non facietis? vos, inquam, non tanto ardentius in hanc causam, quo ea maior, atque nobilior est, incumbetis? vos dolo, vos viribus, ingenio, loco, quaque ratione possitis teterrimũ istum Deorum, atque hominum hostem, monstrũ horrendum, pestem iam nimis latè serpentem superare, atque exterminare non contendetis? hanc vnam virtutem: in qua certiß. vestra victoria, atque gloria constat, nõ amplexabimini? non in hanc vnam omne vestrum studium, omnes vestros conatus, atque neruos confercetis? nolite quæso tam imprudentes esse, vt non videatis, quæ medio die clariora sunt, aut tam obstinato animo agere, vt crudele exitium rei

Chri-

Christianæ, atque vestris regnis vestra afferatis discordia. Vltarum iniuriarum Pr. ampliß. quanta sit voluptas, arbitror neminem latere. hæc, & si inter vos vlciscendi ratio nulla diuina lege conceditur, vt qui fratri nostro omnes iniurias condonare iubeamur, in Traces tamen, atque aliena lege à Christiana agentes, hostes non solum datur, sed valde etiam commendatur. in hanc quoque præter summam gloriam, atque ingentes opes, vt conueniatis, si viri estis, neceße est. nam, si hanc vindictam contra Dei mandatum inter vos sæuere exercetis, quanto ardentius, in publicum istum Archipiratam, qui totam ætatem suam quam longiß. in hominibus vestris terra, mariq; cum cædendis, tũ cũ suis fortunis in duriß. seruitutem rapiendis versatus est, exercere debetis? hæc magis isto deuicto, atque ad interitum vlto, animos vestros, q̃ ipsius victoriæ gloria afficiet, atque maiori lætitia complebit. Grauissimis istius, atque diuturnis iniurijs à quibusdam etiam, atque adeo à vestris olim, multo acerbiores accedunt iniuriæ: qui vt licentiosius agerent, atque ad omnem appetitus titillationẽ vitam more belluarum traducerent, à vestra sanctiori religione ad hostis immaniss. cerimonias vaniß. à nostro vero Deo Dei vero filio ad iniquiß. Sardanapalum colendum transfugere. hi quoque, aut in vestra victoria erunt grauiter puniendi, aut (quod magis placet) in viam reuocandi, erroremque suum

Chri-

Christianè edocendi. Quanta ea quoque erit voluptas, quam capietis, ex ijs, qui apud hostes duriß. seruiunt seruitutem, in suam pristinam libertatem per vos vindicatis? suisq; restitutis? quod quidem tam regium est, quam etiam vitam dare. Magnum quidem vestrum nomē est Pr. Christiani cum principatus dignitate, quo cæteris antecellitis, atque imperatis, tum etiam cognomento Christiano, cui nullum par gens vlla in terris aßequi potest. in dignitate quidem, hoc est in regendis æque vestris populis à vobis nihil desideratur: vt qui malos supplicio, bonos vestra gratia afficiatis. in cognomento vero hoc vnum tantum deesse videtur, vt amice, atque Christianè inter uos conueniatis, atque agatis: probè enim scitis Christum, vnde vos Christiani dicti estis, cum ad patrem in cœlum ascenderet suis in primis pacem, atque, vt mutuo inter se diligerent reliquiße. Simulque in omnibus difficultatibus, vt alius alij præsto adeßet, cumque onere leuaret, odijque, atque belli loco charitatem reponeret, mandaße. Quare cum nomine Principes Christianos profiteamini, re ipsa quoque, vt idem præstetis neceße est; si Deo, vt ex suis, probari velitis. efficite tandem nobiliß. atque Christianiß. Principes, vt hic dies vestris ciuilibus odijs perpetuum finem, integerrimis autem reconciliationibus sanctissimum initium afferat, hoc à vobis populi vestri: quibus vt parētes omnia debetis,

exposcunt. hoc filij ipsi, quibus principatū estis ex ordine traditurí, iure postulant æquiss. hoc boni omnes, pueri, senes, viri, mulieres rogant, atque omnibus precibus orant, hoc vniuersa gens Christiana, sacerdotes cuiusque ordinis, cuiusque generis obsecrant, atque obtestantur. Christus denique ipse: qui vos primum suo sanguine per summum probrum, atq; acerbiss. cruciatus ab hoste sempiterno liberauit, deindè in isto principatus altiss. gradu collocauit, omnes iniurias vestras, vt sibi condonetis, earum largiss. remunerationem ab eo expectantes, benigniss. commonefacit. Nolem postremo Princ. ampiss. hoc dicere, ne magis hostis ipsius æmulatione, quàm vestra virtute vos in hoc bellū cohortari viderer; sed non possum hoc quoque omnibus maximè notum præterire. Probè scitis, vt iste pro falsiss. sua religione, pro illo suo venefico, atque inpostore vaferrimo Maumeto ardenter pugnet, atque vti suis hunc vnicè extollendum, proq; eius honore, vt vitam ipsam profundant, imperet; idque eos tam integrè præstare: vt pro illo turmatim in certiss. mortem irruant. Vos verò pro vestro, quem omnes, qui diuino spiritu ventura prædixerunt, Iesum Dei veri verum filium testati sunt. Quem tota eius vita diuina confirmat. Quem res supra omnem naturam ab eo non semel repetitæ comprobant. Qui post ascensum ad patrem suum multò etiam maiora in suis idiotis, atq; infima

con-

conditionis hominibus fecit. Vos, inquam, pro hoc non in vnum conuenietis ad eius cultū conseruandum, atque tuendum? non pro illo, non dico fortunas vestras, regna, salutem ipsam vel morti ipsi non obijcietis? cui tantum debetis, vt cum omnem illi gratiam retuleritis, ea semper tamen apud vos integra sit permansura? n ō vestra inquam odia, vestras simultates seponetis? non simul fraternè conuenietis, vt multi numero vna sitis sententia, atque animo? In istum, in istum quantùm, quantum veteris in vestris animis residet odij, conuertite, vestras vniuersas iniurias in isto vno discerpto vlciscimini. in hac sanctiss. ira Christum ipsum imitamini, qui patris sui templi contaminatores loris inuasit, atque illos ex eo præcipites exturbauit. vos ita istum Christi ipsius religionis contemptorem, atq; euersorem omni genere armorum simul vnà in ipsum Christum Christianè conspirantes de regno, atque de vita deijcite. Incumbite in hanc quoque Christi nostri defensionem, atque in eam tanto ardentius, quanto ea est omnibus regnis sine comparatione anteponendam. In qua neque ipse Deus vobis deerit, causamq; suam deseret: quo vno adiutore omnes potentiss. Pharaones estis facilè superaturi. Tuq; Pater sanctiss. (tecū.n. nunc ago vbi vbi sis) Quinte Pie, quem Deus ad hanc tantam Ecclesiæ suæ gloriam proximè delegit, ac propè de suo cælo demisit, per istum, in quo Dei ipsius

Vicarius es constitutus , locum,rogo,atque oro vt tuam istis fidem interponas,atque illis quasi obsidis loco des,si quis forte parum socio fidat vnumquemque in fide sua integre permansurum,potius regnum,atque vitam ipsam desertu rum,quã eam integerrime nõ esse præstaturum, neque quicquam in priuatum commodum: sed omnia in communem vtilitattm collaturum. Qui vero secus fecerit, is aqua statim, atque igni interdictus esto. deinde hostis declarator, eius bona publicantor, ad suos Thraces exterminator.nam cum ita primum volentes in vnã sententiam sua voluntate animos suos obstrinxerint: hoc deinde metu liberi securius in officio suo permanebunt. ne gregem tuum Pastor sanctiß. deseras,omni custodia illum ab isto im pio lupo communias,atque tueare: satis .n. superq; barbari enses sanguinem Christianum im biberint. satis eius seruitutis crudeliß. iugum tui perpessi sint. satis in Christianam religionem Thracica superbia impune grassata sit. Ac;ne quid omittam,quod ad rem pertinere vi deatur,atque illud ipsum, quod omnium est ma ximum,ac quo solo omnia rectè confici possunt. Te summe Deus:in cuius nutu omnia posita sũt, rogo,atque oro, vt non nostra mortalium scele ra,non nostram indignitatem respicias: quibus iam pridem vt qui nascentes peccatum nobiscũ efferimus, omnes ad vnum à te longißimè ab alienati sumus: sed vt innocẽtiam tuam recor-

deris: qua nos per ſummos cruciatus, ſummumque opprobrium ſemel ab æternis pœnis liberaſti, nos illos ipſos perditiſs. à præſenti Lucifero tuearis, ac propè ex eius faucibus eripias, ac ſi noſtra cauſa id facere negas, id tibi ſaltem ne nega, qui nos affligens, hoſti tuo crudeliſs. qui te ore, corde negans, re ipſa interficit, nihil gratius facere potes. nos quidem à perturbationibus tranſuerſi agimur, verum vt ab ijs in meliorem ſenſum rediuimus, tibi toto corde credimus, te pleno ore fatemur, te ſanctè colimus. Tibi omnia tua vt omnium optimo damus artifici. Effice ſumme Deus, ne ſemper ab iſto inſolentiſs. atque ſuperbiſs. hoſte illud verbum nobis calamitoſum, tuæ verò magnitudini indigniſſimum audiamus. Dicite tandem Chriſtiani, vbi eſt veſter Deus? Quin effice, vt contra ipſi aliquando audacter riſpondeamus. Deus noſter, Deus eſt exercituum, qui ſuperbos hoſtes ſuos de regno deijcit, atque retundit. id, quod per vos, ſi in hanc Chriſtianam concordiam Chriſtiane coibitis, efficiet.

FINIS.

e

